



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 67. Duo Cardinales in bina promotione creati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. purpuram evexit Pyrrhum de Gonzaga, A.C. 1527. Mutinensem Episcopum, ac tit. S. Agathæ Diaconum Cardinalem. Postremus erat Sigismundus Pappadoca Nobilis Neapolitanus, Venusinus ac Tropeensis Episcopus, qui tamen in patria ut Episcopus vivere, quam Vaticana purpura decorari maluit.

## §. LXVII.

*Duo Cardinales in bina promotione creati.*

*Ciacon. l.cit. p. 446. & 500* **T**ertia Cardinalium electio facta est die septima Decembris, cum Papa adhucdum in arce captus detineretur, ubi nonnisi unicum creavit Cardinalem. Is erat Franciscus Quignones natione Hispanus, Comitis de Luna Filius, primo supremus FF. Minorum Minister, ac demum Cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem. Hujus Viri electionem Carolus V. Imperator insolito prorsus gaudio exceperit eundemque a confessionibus ac consiliis ascivit.

Die vigesima Decembris idem Papa jamjam in libertatem assertus alteram habuit Cardinalium promotionem, in qua tamen nonnisi Franciscum Cornarum seu Cornelium ad purpuram nominavit. Is erat patria Venetus, ac primo titulum S. Pancratii, postea S. Cæcilie

Cæciliæ, tum S. Praxedis, ac denique S. Mariæ transtyberim assumpsit. Sæcul. XVI. A.C. 1527.  
 puero inter arma adoleverat, atque Abduensi interfuit prælio, in quo Galli de Venetis victoriam reportabant. Fratrem habuit Andream Spalatrensem Archiepiscopum, qui in Lateranensi Concilio sub Pontificatu Leonis X. ingentem nominis sui famam sibi comparabat.

§. LXVIII.

*Cardinalis Jacobatii obitus.*

Excedebat novorum Cardinalium numerus dignitates, quæ in sacro Purpuratorum Collegio vacabant. Hoc enim anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo nonnisi quatuor eorum obiisse reperiuntur. Hos inter primus erat Dominicus Jacobattius patria Romanus, Christophori Jacobatii Filius. Vir erat ingenii excellentia insignis, qui fœdere nunquam interrupto scientiam cum virtute conjungens præcipue in juris Canonici studio eminuit. Anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo quinto ab Innocentio VIII. Consistorialis Aulæ Advocatus, dein Romanæ Rotæ Auditor anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio renunciatus, postea

*Ciaccon. in Leon. X. to. 3 p. 383. Ferd. Ugel. in addit. ad Ciaccon. Auberi vit. Card. Panv. de Rom. S. Pontif.*